

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 5 (Usque quo,
domine, meum animum...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 5 (Usque quo,
domine, meum animum...)*

Usque quo, domine, meum animum suspendetis, usque quo placebit vobis anxietas mei spiritus et corporis cruciatus? Et de N. fratre meo pridem ad curiam veniente, utrum mortuus sit vel vivus, meam latere noticiam vestra domjnacio pacietur? Scire enim vos cupio, quod hic dolor iam usque ad meam animam pertransivit et semper cor meum erit ardens et dolens, quamdiu fuerit inde dubium inter prosperum et sinistrum. O quam dyram penam huiusmodi prolixitas parit in visceribus dubitantis, cum mens humana precipue semper de eo, quod amat deterius arbitretur! O quam me crudeliter afficit dilata relacio veritatis! Nam etsi quelibet expectacio reddit naturaliter animum anhelantem, quanto magis haec, in qua plus quam in aliqua cor meum cogitur cogitare. Dignemini vos igitur, dignemini, bone domine, intuitu pietatis verum inde referre mihi, quo deum que sit, contrarium aut secundum, ut per veri noticiam ab hac demoliente me sollicitudine requiescam et in leccione plurium litterarum propterea vestros oculos ammodo non fatigem, qui dudum direxi vobis proinde innumeras preces frustra, cum nequiverim assequi votum meum et quia geminis licet doloribus incumbentibus in eodem ad inimiciorem praecurrat manus alterius, cum exinde memoria non deletur, non ita sensus meos hebetavit hic dolor, quin me ad indagandam huius rei certitudinem venire corporaliter nequeunte pedibus compedibus impeditis et demum in scribendis presentibus verum manu manicam ferrente ferream vel sinistra dexteram annectente ipsa mihi necessitas mei carceris ingereret mencionem. Quapropter vestre dominacioni cogor instanter et suppliciter supplicare, ut certificati per talem de qualitate et condicione talis, cui datus sum in excontrum, ad liberacionem meam velitis

efficaciter et finaliter operari nec obmitto, quod mihi vestra liberalitas provideat interim in pecunia destinanda tam pro solvendis pluribus debitis in ultima necessitate contractis, quam pro meis expensis eciam, ne forte defectu consumptus sumptuum, cum me quesieris, non subsistam.